8

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

AETATIS RATIONE HABENDA MEDICO PRAECIPVE CIRCA VENAESECTIONEM,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. XV. SEPTEMBR. A. S. R. M DCC XLIX.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

LVDOVICVS HENRICVS VMBSCHEIDEN,
MEISSENHEMIO-BIPONTINVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

AETATIS
RATIONE HABENDA MEDICO PRAECIPUE CIRCA
VENAESECTIONEM.

PROOEMIUM.



QUam accuratam rerum omnium rationem habere debeat Medicus quilibet, de vita atque ſanitate hominum maxime ſollicitus, non tantum difficile nimis enarratu, verum etiam fere impoſſibile. Duo quidem tantum, teſtante Illuſtri b. m. BOERHAAVIO, re-

quiruntur fundamenta, quibus certa demum niti-tur tota Medicina: Primum *quippe est, accuratissima obseruatio earum apparitionum, quae in homine sano, aegroto, moriente, mortui cadauere, sensibus externis patent ac deprehenduntur, siue eae oriantur ab iis, quae in ipso homine occurrunt, siue ab iis, quae per externas caussas, casu, vel arte, in eum agunt:* alterum *erit severa indagatio illorum, quae in homine latent sensibus abscondita, vel quae & faciunda sunt in euentum praefixum. Duo haecce autem fundamenta adeo multis iterum fulcimentis praestructa esse debent, vt exactius recenseri vix queant. Tantum enim profecto Medicina nostra continet, quantum per totum vitae decursum, vt non dicam exquisitissime, sed ne rite quidem vllus vnquam Medicorum est absoluturus. Neque reprehensione vlla videntur digni, qui ex omni omnino parte Medicinam ita non callent, vt in quouis, vel inextricabili, casu statim habeant in promptu, quod eum praesentissimae conualescentiae spe exhibeant. Eo magis autem illi e medicastrorum & empiricorum turba erunt arguendi, qui, neglectis plane spretisque circumstantiis, (quae ad consuetudinem plurimorum leuiores quidem, sed prorsus inique, videntur,) temere atque nimis praecipitanter rem, non sine momentanea*

peri-

periculi praesentia, adgrediuntur. Istiusmodi inter circumstantias, quarum consideratio diligens summeque necessaria vtplurimum negligitur, & ea potissimum erit numeranda, quae aetatem *hominum concernit, seu vitae periodos. Quanti autem intersit, vt Medicus aetatis aegrotorum curam habeat sollicite, specialiori quadam indagatione, loco speciminis inauguralis, non indignum erit. Non vero, Lector beneuole! in hacce praesenti tractatione eam aetatis considerationem exspectato, quae annos climactericos respicit; horum enim historiam Illustris b. m.* Fridericus HOFFMANNVS *peculiari quadam Dissertatione optime iam tradidit. Neque morborum aetatum aetiologiam fusiorem, neque pathologiam vel therapiam specialiorem sperato, vtpote de quibus seorsim egit Illustris b. m.* G. E. STAHLIVS, *in aegregia Dissertatione,* de morborum aetatum fundamentis pathologico-therapeuticis. *Vnice ergo duntaxat eo directus erit qualiscunque hic meus labor, vt* aetatis *quoque exactam* rationem habendam esse in venaesectione *demonstrem; cui conatui, vt Numen, quod cuncta sapientissime regit, summum, clementissime adnuat, adsit ac faueat, in summis esto optatis.*



§. I.



De aetatum ratione, Medico praecipue circa venaesectionem habenda, acturi, in limine statim huius tractationis declarandum esse censemus, quid proprie sub *aetatis* vocabulo intelligendum veniat lecturo. *Aetatem* itaque omne illud vitae spatium, a primo vitae momento, vsque ad vltimum eius terminum, aut, si mavis, mortem, hic denotare volumus. Idem quoque in sequentibus *aeuum* seu *aeuitatem* significare, perspicuitatis ergo, animaduertimus. Quum vero aetas hominis in varias *periodos* diuidatur, hic statim istiusmodi diuisionem praemissuri sumus.

§. II.

Vetustissimis iam temporibus homines *aetatis* habuisse rationem, ipsa testatur longaeua antiquitas. Tunc enim temporis iam in *quatuor periodos* dispescebant *hominis aetatem*, quae quippe diuisio ad nostra vsque tempora nonnullis eadem mansit illaesa salua-

ſaluaque. Prima ſcilicet harum periodus ab ipſo vitae initio vsque ad decimum quartum aut ſextum circiter annum abſolui dicebatur, & *infantia* ſeu *pueritia* audiebat. Alii contra rectius iterum infantiam inter ac pueritiam diſtinguendum eſſe volunt; illamque ſex vel ſeptem primos explere vitae annos, hanc vero ad decimum quartum vsque annum perdurare contendunt. Altera, quae *iuuentutis* nomine gaudet, vitae periodus, ſimulque *adoleſcentiam* ſub ſe comprehendit, vsque ad vigeſimum octavum, vel etiam trigeſimum extenditur annum. Aetas autem *virilis*, ſeu *conſiſtens*, vel tertia vitae periodus, intervallum illud a trigeſimo vsque ad quinquageſimum, vel, vt alii volunt, ad ſexageſimum comprehendit annum. Quarta denique & vltima periodus, ſeu *aetas ſenilis*, ad finem vsque extremum vitae perdurat.

§. III.

Hanc vero (§. anteced.) aetatum ſeu periodorum vitae diſtinctionem neutiquam vniuerſalem eſſe, merito nunc prius monendum iudicamus. Quanquam enim alii eandem de vtroque ſexu accipiant, atque etiam ita nonnumquam valeat; minime tamen omni ex parte de vtroque illo ipſam accipi poſſe, ſtatim demonſtrabimus. Infantiam eosdem in potiori ſexu pariter ac ſequiori occupare annos, nulli negamus; pueritiam vero, vel, quod de vtroque valet ſexu, impubertatem, longius explere interuallum in potiori, quam ſequiori ſexu, ipſa teſtatur

tur experientia. Tum demum enim pubertatis initium esse, quando secretio & elaboratio seminis in virili, & menstruus fluxus in foeminino sexu incipiunt, constat; quum vero semen raro ante decimum quintum & sextum annum secerni incipiat, menstruum vero sanguinem iam decimo quarto puellarum anno, immo & citius in quibusdam, prorumpere ac emanare experientia nos edoceat, sequitur inde sexum hunc citius illo acquirere pubertatem. Illam interim periodum, quae iuuentutis nomine antea (§. II.) insignita fuit, in vtroque pariter sexu eandem esse non contradicentes, virilem seu consistentem aetatem idem occupare spatium in potiori pariter ac sequiori sexu, nequaquam admittimus. Eam enim merito appellamus aetatem virilem seu consistentem, intra cuius terminos homines sui similes generare, vel, quousque generationis opus continuare valent. Iam vero experientia edocti scimus, sexum potiorem plerumque facultate illa sobolem procreandi vltra quinquagesimum & non raro ad sexagesimum annum gaudere; quum e contrario sexus sequior ante vel circa quinquagesimum annum facultate illa concipiendi foetumque gestandi iam destituatur, & ad generationem hinc fiat ineptus sterilisque. Inde facile colligere licebit, hancce periodum vitae, seu aetatem consistentem, longius comprehendere interuallum in sexu virili, quam foeminino; vltimam vero periodum plane eandem esse in vtroque sexu, absque vlla demonstratione patet.

§. IV.

§. IV.

Descriptis itaque nunc aetatibus seu vitae periodis vtriusque sexus (§. II. III.), ea praecipue iam adducenda nobis erunt *signa*, quae hanc illamue vitae periodum adesse nobis persuadere, vel certo etiam indicare possunt. Experientia testante quotidiana non pauci saepe homines, suaemet ipsius aetatis inscii, Medicum eandem inquirentem prorsus incertum relinquunt, nec verum annorum numerum indicare valent. Sub talibus ergo circumstantiis Medicus, aetatem aegroti indagaturus, ex certis quibusdam signis eandem colligere & ex circumstantiis nonnullis praesentibus diiudicare debet. Quae vero quamquam non accuratissime & adeo certe, ad vnum vsque annum vel diem potius, ex corporis habitu externo, siue aliis circumstantiis, cognosci possit, iam sufficiet, si aliquo tamen modo vitae periodum scire poterit; attentus enim ad varias corporis rationes Medicus vtplurimum ita de aetate iudicium formabit, vt non adeo longe a vera aetate praesente sit recessurus.

§. V.

Vt vero iudicium de aetate non plane incongruum formare possit Medicus, multae profecto circumstantiae circa tale scrutinium ab eo erunt obseruandae. Instituendum inprimis est talis indagatio in caussis maxime honestis, & quum, testantibus Medicinae forensis commentatoribus, ad probabilem aetatis explorationem etiam externarum partium

B consi-

considerationes & inspectiones sufficiant, hinc ea etiam loca, quae verecundia alioquin atque honestas occultare suadent iubentque, tunc insimul inspicienda sunt a Medico aut obstetrice iurata. Si vero aetas hominis in genere scrutinio atque iudicio Medici indaganda subiicitur, omnino tum, bene ita monente Excellentiss. ALBERTI *a*), ad differentiam quoad temperamenta, prouincias, vitae genus, educationem, familias, diaetam, haereditariam dispositionem, clima, ceteraque probe attendat, necesse est, vtpote secundum quam animaduersionem & discrepantiam quaedam indiuidua maturius robustiore, validiore & firmiore instruuntur corpore, vt propterea in praedictas circumstantias prouidus Medicus antea curatiori studio inquirere omnino debeat, ne deinde, loco solidi iudicii ferendi, sordidum committat praeiudicium.

§. VI.

Generatim igitur in aetatis inquisitione & declaratione obseruare conuenit, primo rationis gradum & maturitatem; deinde vultum quoad singulas suas partes, cutis aeque ac aliarum partium statum, vt & coloris conditionem, quatenus praecipue hic naturali statui conformis esse debet. Porro, loquelam, an mollis & tenera, an vero aspera sit ac dura. Corporis postea firmitatem, nec minus pilorum densitatem aut mollitiem, num teneri sint tactu vel rigi-

a) In *Iurisprudentia medica Part. I. Cap. XVII. §. II. p. 370. seqq.*

rigidiores. Praeterea cutis lenitatem ac rigorem, itemque actionum qualitatem, an magis minusue seriae & attemperatae sint. Vlterius morbosas alicuius subiecti adflictiones, quatenus ad certam aetatis periodum referri possunt. Vltimo denique loco iudicium indiuidui, quam facile aut difficulter de diuersis rebus obuiis formetur *b*). In specie vero in aetatis scrutinio Medicus attendat necesse est ad sexus diuersitatem. In potiori enim sexu barba certum praesentis aut mox appropinquantis aetatis virilis, crines vero in pudendis, iuuentutis aut pubertatis certissimum erunt signum. In sequiori autem sexu ex ipsa mammarum inspectione, earum magnitudine, duritie siue mollitie, & pariter crinium in pudendis eruptione & conditione, signa satis quoque probabilia, praesentem quandam aetatis periodum denotantia, desumere potest. Haec ergo de aetatis indagatione & cognitione.

§. VII.

Ne vero vanam forsan atque inanem talis argumenti pertractationem fore quisquam sibi imaginetur, ea iam in medium proferamus, quae, quanti insimul haec praesens consideratio sit emolumenti Medico, in diagnosi pariter ac curatione morborum, probe testabuntur. Latissimus nobis quidem hic patet campus, vnde argumenta prolixe depromere possemus, necessitatem cognitionis aetatum satis probantia, nisi breuitati studentes, leuia omittere satius consulere-

b) Vid. Excellentiss. ALBERTI *l. c.*

fuleremus, bene gnari, totam hancce tractationem maiorem fic monftraturam effe vtilitatem. Tantum itaque abeft, vt prolixius demonftremus, Medicum propterea quoque pollere debere aetatem hominis diiudicandi facultate, quia ipfius a Iudice ciuili in variis cafibus non ita raro requiritur fententia, quum omnino iudicium de aetate ad forum medicum pertineat; vt alia potius magis neceffaria adferenda nobis videantur argumenta, quae neceffitatem illam aperte demonftrant. Tantam enim profecto vtilitatem hoc praebere argumentum, quanta vix ab vllo alio erit fperanda, ex fequentibus melius clariusque elucefcet, quemadmodum etiam in genere, vnicum hocce tantum perpendentibus, quod quaelibet aetas fuo fibi proprio plerumque adfligatur morbo, nullum plane amplius de huius afferti veritate reftitare poterit dubium.

§. VIII.

Ordinem illum vlterius feruabimus, quo vfi iam fumus in defcribendis variis aetatum periodis (§. II. III.), & primo hinc confiderationi noftrae fubiiciemus aetatem infantilem, feu infantiam, quam a primo vitae momento ad feptimum vfque annum perdurare abunde iam conftat. Vberrima atque foecundiffima haecce periodus genetrix effe folet morborum quam plurimorum, quorum originem ex fola plethora deducens Medicus rifui fefe procul dubio exponeret. Multo magis cachinnos irridentium commoueret ille, qui infanti, circa hoc vitae fuae aeuum

ver-

versanti, venaesectionem, siue curandi, siue etiam praeseruandi scopo praescribere non erubesceret. Nullam enim haecce aetatis periodus veram adhuc sistit plethoram, quum pellucidorum, pinguium, lymphaticorum potius humorum abundantiam in ea adesse constet. Plurimi itaque morbi infantibus praecipue proprii, secundum celeberr. b. m. BOERHAAVIVM c), oriuntur 1) a *strigmentis glutinosis, caseosis, lentis*, quibus os, oesophagus, stomachus, intestina replentur, hacque sola ex caussa nauseae, vomitus, tormina, singultus, conuulsiones saepe excitantur & inducuntur, simulque deinceps restant indigestiones assumtorum. 2) Multum quoque patiuntur vulgo a *meconio* non satis tempestiue remoto, vel ob debilitatem ipsorum post partum, vel ob tenacitatem materiae itemque copiam eius nimiam, vel ob siccitatem viarum. Hinc ab eius mora, lacte & aëre accedentibus, acrimonia, acor, putredo, in vapores resolutio, adeoque dolores torminosi, conuulsiones, nauseae, vomitus, singultus, tusses, sternutationes, clamores, flatus, peruigilia, terrores, febres, macies, mors. 3) Non minus quoque patiuntur ab ipso *lacte*, dum id nimis cito fortiterque in stomacho coagulatum, compingitur in vnam massam grauem acremque. Haec enim sensim acrior acidiorque reddita, aluinas feces virides, acidum spirantes, materiem vomitu reiectam tenacem viscidamque reddit, hincque tormina, flatus, dolores, & infinita alia (num. 2. notata), maxime conuulsiones, inducit. Medicus

c) *Aphor. de cognoscend. & curand. morb.* §. 1340. *seqq.* p. m. 342.

cus ergo in aetatem infantis aegroti inquirens, de eaque siue ab adstantibus certior redditus, siue etiam eandem ex circumstantiis §. V. & VI. adductis praeuidens, statim concludere poterit, quinam morbus praesens, quae eius ratio, qualia medicamenta ordinanda, quaenam eorum dosis seu quantitas, qualis effectus spes, cetera.

§. VIIII.

Crescente dein aetate, crescit & sanguinis moles humorumque reliquorum, & in ea aeui periodo, quam *pueritiam* (§. II.) vocant, plethoram, praecipue vero declinante illa, successiue colligi & oriri posse, experientia testatur. In ista pariter atque mox ante descripta vitae periodo (§. anteced.) sanguinem superiora versus, plerumque vero versus ipsum caput, copiosius ferri, experientia vel leuiter edoctis adeo notum est, vt vlteriori haud indigeat explanatione. Vnde vero petenda sit ratio, cur in hac aetate fluida versus superiora impetum faciant, reliquis autem temporibus non ita, paucis duntaxat attingere non abs re fore arbitramur. Non conuenimus in huius ratione tradenda cum doctissimo BAGLIVIO, sed a sententia eius aliquantum recedere licebit, quam sequentibus complectitur verbis d): *Pendet id, si licet opinari, ex laxitate nimia solidorum ac fluidorum in senibus; contra vero ex nimia vi, tensione & elatere eorundem in iuuenibus &c.* Contrariam potius sen-

d) Vid. eius Opp. omnia *de fibra motrice Specim. Lib. I. p. m.* 350.

ſententiam in infantibus ac pueris hic tuebimur. Caput, ceu nobiliſſima corporis pars, vt prius, quam reliquae partes, perficeretur, ſanguis, qui partes nutrit earumque incrementum adiuuat, ibidem tardius progredi ac maiori in copia eo deferri debebat. Copioſiorem autem ſanguinis adſcenſum verſus caput non aeque a tenſione, vi ac elatere maiori, quam a minori potius, in hac aetate contingere deprehendemus. Vbi enim maior vis, tenſio ac elater vaſorum, ibi maior citiorque fluidorum progreſſus; non vero citiorem, ſed ſegniorem tardioremque ſanguinis motum in capite infantum adeſſe poſſe, recte ſtatuimus inde, quia vaſa nimis tenera molliaque tanta ſeſe contrahendi ac relaxandi haud gaudent vi, quanta ad talem motum progreſſivum accelerandum requiritur. Facile igitur iam ratio patet, cur in infantibus ac adoleſcentibus impetus ſanguinis aliorumque humorum maior verſus caput fiat; vnde dolores capitis, dentium, coryza frequens, rubor oculorum, haemorrhagiae narium, tinnitus aurium, oris interni ardores, aphthae, convulſiua & epileptica pathemata & adpropinquante iuuenili aetate plura circa fauces incommoda, tumores anginoſi, inflammatorii, aut tonſillarum viſcoſi inflatorii, aliique huic aetati morbi nimis familiares exiſtunt.

§. X.

Ordo iam requirit, vt etiam de venaeſectione, circa hanc aetatis periodum vel vtili, vel noxia, quaedam, moneamus ſimulque inquiramus, num in

hac

hac ipſa vt venam ſecando ſanguinis moles imminuatur, ſuadendum potius, quam diſſuadendum ſit. Nos equidem venaeſectionem in tali aetate nec praeſeruandi ſcopo, nec curatiue etiam celebrandam eſſe iudicamus, & quamquam multa ab aliis pro adſtruenda eius vtilitate adferantur argumenta, plura tamen iis opponi poſſe, eaque grauiora, luculenter ex ſequentibus apparebit.

§. XI.

Omnem, ſi quis forſan obiiceret, plethoram morboſum aut denotare, aut facile inducere corporis ſtatum, morbum vero quemcunque auertendum eſſe, adeoque praedictam illam infantum & puerorum plethoram optime venaeſectione inſtituta imminui poſſe, illi ſequentia regerimus: Primo quidem, vt recte procedamus, indagatione dignum videtur, num in hacce periodo morboſa quaedam admitti queat plethora. Tum demum nempe talem plethoram adeſſe dicimus, quando iuſto maior ſanguinis copia in corpore occurrit, ſiue quando ordinaria & proportionata quantitas ſanguinis adeo aucta eſt, vt omnem ſtatum naturalem tranſcendat; tum vero iuſto maior aderit ſanguinis copia, quando plus, quam ad functiones animales ac vitales rite peragendas requiritur, corpori ineſt. Tantam ergo infantum corporibus ſanguinis molem, naturali maiorem, ineſſe, vix ac ne vix quidem adſerere licebit, quum ad nutritionem, in hacce periodo praeſertim maxime vigentem, magna omnino ſanguinis quantitas requiratur.

Etiamſi

Etsi enim magna sanguinis copia tunc praesto sit, eamque ex superabundanti plethoram dici concederemus; hanc tamen plethoram per se morbosam esse ac nociuam, nemo facile demonstrare poterit. Haec enim simplex, non complicata, sibi relicta, non commota, corpori tantum abest vt noceat, vt ei potius non paruo euadat emolumento, quod quippe statim explanabimus.

§. XII.

Corpus sub hac aetatis periodo potissimum crescit & incrementa subinde maiora ordinarie capit; augmentum vero corporis a fluidis eius partibus, inprimis a latice illo rubro, sanguine, & huic intermixta gelatinosa lympha dependere, ex physiologicis constat *e*). Quo maior itaque sanguinis & lymphae erit copia, eo melius succedet incrementum, quod e contrario eo magis imminuetur, quo minor sanguinis & lymphae copia aderit. Nonne ergo plethoram, si ita loqui licet, incrementum corporis atque augmentum promouere quilibet perspicit satis euidenter? Nonne itaque salutaris potius reputanda erit qualiscunque talis plethora, quam vt eandem, tanquam noxiam, V. Sne imminuendam esse quis credat? Si ergo salutarem hancce sanguinis quantitatem aliquantum auctam, venam secando & laticem purpureum extrahendo sic tolles, simul

 incre-

e) Conf. Dissertatio de *Saliuae secretione vera*, sub Illustri Dn. PRAESIDE, auctore E. G. KVRELLA ventilata, §. V. pag. 11. sqq.

incrementum illud ac augmentum corporis, debite alias promouendum, impedies, eoque ipſo efficies, vt non homo, ſed homuncio, nanus, pumilio, emergat.

§. XIII.

Vlterius adhuc contra adſertionem iſtam obiici poſſet, ex duobus malis phyſicis minimum ſemper eligendum eſſe, & melius idcirco fore, ſi augmentum corporis, eiusque magnitudo & moles quadantenus impedirentur, quam multis morbis, plethoram fouendo, anſa ſuppeditaretur, quum inde congeſtiones frequentiores verſus caput, hinc cephalalgiae, odontalgiae ac otalgiae, inflammationes oculorum, haemorrhagiae narium, aliaque oriantur mala. Aſt nec iſta locum habebit obiectio. Plethora enim ſimplex, ſibi relicta, nullum facile inducet morbum, & licet forſitan quoque commoueatur, congeſtionesque caput verſus oriantur, non venaeſectione aeque, quam aliis remediis, ſuccurendum tunc eſſe ſcito. Talis enim ſibi relicta plethora per ſe nullas vnquam excitabit congeſtiones, ſed potius orgasmus ſanguinis auctior, a variis externis cauſis concitatus, aliaeque rationes plerumque adſunt, vnde mox ante commemorati ortum trahunt morbi. Niſi vero temperantia orgasmum ſiſtent, aut reſoluentia, laxantia & alia hic commode adhibenda medicamenta humorum craſin corrigent, excretionesque deficientes reſtituent, quale in eiusmodi ſubiectis ſpeciale auxilium a V. Sne ſperare poteris? Quod denique de haemorrhagia narium reſtat monendum, eam corpori ſummo

mo vtique emolumento esse, quotidiana docet experientia; quum cephalalgias, odontalgias ceteraque mala hinc optime mitigari, non tantum a priori facile quilibet cognoscere queat, sed & a posteriori innumera fere eundem salutarem effectum confirment exempla.

§. XIV.

Novum porro contra hancce sententiam a quibusdam moueri praeuideo dubium, dum nempe quaerunt: annon, dum natura per haemorrhagiam narium spontaneam boni saepe quid intendit, & alios grauissimos morbos eadem non raro arcet & praecauet, pariter quoque ab haemorrhagia artificiose excitata idem emolumentum in morbis grauioribus expectare liceat? Ad hanc vero quaestionem respondendum esse iudicamus, primo quidem non omnem omnino spontaneam haemorrhagiam quolibet tempore & in quibuslibet morbis salutarem esse, sed illam non nisi, quae vere critica est, aut in ipsis primis initiis morborum maxime acutorum & sic dictorum sanguineorum contingit, aut etiam quasi critice in chronicis congestoriis affectibus euenit; deinde vero etiam non vnam eandemque esse salubritatis rationem excretionum, quae sponte fiunt, & quae artis ope excitantur, cum saepius incongrua etiam excretio, sponte saltem oboriens & succedens, meliorem & feliciorem post se trahat effectum, quam arte aut medicamentis prouocata, in se licet optima & morbo ipsi conuenientissima, inprimis quum talis non aeque facile

ac semper debito & legitimo prouocari queat tempore, quod melius sane exactiusque vtplurimum sub spontaneis a natura obseruatur excretionibus.

§. XV.

His ita praemissis, altera nunc aetas, *iuvenilis* nempe (§. II. III.), consideranda venit. Differt haecce vitae periodus, ceteris paribus, a praecedentibus praecipue in eo, quod, quum in illis modo descriptis aetatibus sanguinem plerumque caput versus maiori impetu vergere adseruerimus (§. IX.), tales sanguinis congestiones in hoc vitae interuallo versus pectoris regionem magis dirigantur. Nec adeo difficulter ratio huius effectus indagari & declarari poterit, si priorem §. cit. adductam rationem, de copiosiori sanguinis progressu versus caput, in mentem denuo reuocare placuerit.

§. XVI.

Sanguis in infantia & pueritia impetum facit versus caput (§. VIII.), quia in hac vitae periodo laxitas, teneritudo ac mollities vasorum, contractionem & relaxationem parietum suorum non iuste expedientium, sanguinis circuitum impediunt, ac in ea regione ad diutiorem illius humoris moram occasionem praebent (§. IX.). Crescente annorum serie robur vasorum magis magisque augetur, vsque dum, incipiente hac vitae periodo, iuuentute dicta, tantum ceperint roboris incrementum vasa, vt sanguinem recipiendi pariter ac propellendi iusta gaudeant facul-

culta-

cultate, illeque cruor, qui ob vasorum capitis teneritatem antea tardius ibi processit, nunc facilius ac promptius ad alias partes protrudi possit. Nisus ergo maior sanguinis versus caput per resistentiam vasorum capitis impeditur, adeoque regionem illam, quae capiti proxima est, pectoris nempe ambitum, necessario occupare ibique copiosius, accedentibus inprimis variis occasionalibus, tam internis, quam etiam externis caussis, retardari & coaceruari debet. Facile itaque exinde patebit, cur circa hancce aetatis periodum frequentiores in pectoris regione ingruant affectus, quales plerumque esse solent: tusses siccae efferae, aut humidae quoque acres & impetuosae, raucedines, asthmata convulsiua, dolores rheumatici circa scapulas, thoracem, humeros, ceruicem, palpitationes cordis, haemoptysis, phthisis, pleuritis vera ac spuria, aliaque huius generis plura incommoda.

§. XVII.

Longam hic morborum §. anteced. recensitorum subministrare curationem longe a scopo nostro alienum est; propius autem ei accedet consideratio quaedam de venaesectione circa illud aevum instituenda. Si quis ergo interrogaret, num in hoc vitae periodo suadenda sit venaesectio, & an potius praeseruatiue, quam curatiue? tunc respondendum esse iudicamus conditionate, non universaliter. Hac enim aetatis periodo incipiente magis insimul accumulari incipit plethora, licet in ea non semper adesse debeat. Finito namque tertio circiter annorum

ſeptenario; homo plerumque in longum creſcere deſinit, minime tamen idcirco incrementum & augmentum corporis plane tunc ceſſat, ſed tum demum pinguius communiter vaſtiusque reddi ſolet corpus. Ad hocce vero incrementum adiuvandum maior quaedam ſanguinis requiritur copia, quae propterea tunc quoque neceſſario vlterius in corpore elaborari & conſeruari debet. Si vero nullum ſub hac aetate corporis incrementum, hominemque nec in longitudinem, nec latitudinem tunc vlterius excreſcere obſeruabis, inſimulque ſe- et excretiones non rite ſuccedere, animi pathemata grauia ſubinde occurrere, aliasque turbas in naturalibus praecipue functionibus crebrius euenire animaduertes, facile concludere poteris, ſanguinis molem augeri, plethoram generari, ac orgasmum dein ſubſequi poſſe, hinc congruis & tempeſtiuis venaeſectionibus multis inde oriundis morbis occurrendum, iisque cito praeſeruandis ac auertendis ſedulo ſtudendum eſſe. Eo magis id tum neceſſe erit, quum circa hoc tempus ſanguinem verſus pectus cum impetu vrgeri & propelli ſciamus (§. citat.), atque ſub orgaſtica eius commotione & ebullitione facile haemoptyſis, pleuritis, peripnevmonia, pluraque alia grauia oriri poſſint mala.

§. XVIII.

Praeterea vero & illud adhuc obſeruandum hic venit, quod, ſi in infantia atque adoleſcentia quis ſepius repetitam expertus fuerit haemorrhagiam narium,

rium, finita autem hac aetate ea plane iterum cessauerit, omnium maxime tum naturae ſuccurendum, & artificioſa inſtituenda ſit ſanguinis depletio mediante venaeſectione, ne purpureus ille latex, qui antea per nares ſibi exitum viamque parauit, alio e loco nunc proruptuꝛus, periculoſam inducere & prouocare poſſit haemorrhagiam. Quod locum attinet, vbi inſtituenda eſt venaeſectio in ſubiectis tali in aetate conſtitutis, libere confitemur, ſi depletio ſaltem & ventilatio abundantis ſanguinis intenditur, perinde omnino eſſe, num in brachio, vel pede vena aperiatur. Si autem periculum vrgens praeſto fuerit, & inflammatione pulmonnm, vel pleurae, itemque graui & impetuoſa haemoptyſi quiſpiam laborauerit, tunc vt eo citius a nobiliore iſto viſcere grauior ſanguinis impetus deriuetur, praemiſſa ſufficienti ventilatoria ac deriuatoria venaeſectione in brachio, (& quidem in latere oppoſito ſeu ſano, ſi inflammatorius ſit affectus,) etiam reuulſoria in pede, eaque larga ſatis & ſtatui plethorico laborantis ſubiecti debite proportionata, ſuſcipienda erit depletio. Et ſane in genere hic obſeruandum eſſe iudicamus, nunquam in nimis parca quantitate emittendum eſſe ſanguinem, ſed larga potius, non tamen nimia copia detrahendum, quia plerumque, excitato ſic maiori impetu orgaſmo, grauiora ſequi ſolent incommoda.

§. XIX.

Ad *virilem* iam ſeu *conſiſtentem* (§. II. III.) *aetatem* conſiderandam nos accingimus. Vt vero eundem,

dem, quem in antecedentibus aetatibus iam descriptis obseruauimus, nunc quoque retineamus ordinem, statim prius monendum erit, sanguinem in ea vitae periodo non tam vegete tantaque in copia, vti in praecedente, versus pectus propelli, sed circa abdominis potius viscera copiosius haerere magisque coaceruari, huiusque rationem vel in Veneris vsu frequentiori aut abusu, vel in motibus variis, repetitis vicibus susceptis & institutis, equitatione nimirum, vectione, aliisque, quaerendam esse, vnde sanguis magis magisque versus hancce inuitatur & deriuatur regionem, aut per longius etiam interuallum ibidem moratur, quod quidem non incipiente demum hoc vitae aeuo, sed etiam declinante iam aetate iuuenili fieri, absque specialiori nostra demonstratione, ipsa testatur experientia. Ex illa ergo in abdominis visceribus mora iusto longiori progressuque per ea difficiliori sanguinis, morborum quoque illorum deriuanda erit origo, qui huic aetati plerumque maxime sunt familiares, quorumque censui sequentes communissime adnumerantur: Haemorrhoides nempe tam externae, quam internae, coecae pariter ac fluentes, dolores lumbares, nephritis simplex & calculosa, malum hypochondriacum & hystericum, arthritici & podagrici dolores, cachexia, hydrops, frequentiora colica pathemata, pluraque alia mala.

§. XX.

Quum ergo nostra circa aetatem instituta considera-

ſideratio eo potiſſimum ſit directa, vt inprimis ad venaeſectionem reſpiciamus, num & quomodo eadem ſit pro varia illius ratione inſtituenda, idque etiam intuitu aetatum iam deſcriptarum abſoluerimus, ideo quoque in hac ipſa virili ſeu conſiſtente nunc diſpiciemus, an & quomodo prae illis hactenus conſideratis, in ea, tam praeſeruandi, quam curatorio ſcopo, ſuadenda & inſtituenda ſit venaeſectio? Equidem quod poſterius attinet, absque vlla limitatione id adſerere nulli omnino dubitamus; quoad prius autem, ſeu praeſeruatorium venaeſectionis vſum, in quantum ille neceſſarius & vtilis ſit, ſub certis ſaltem conditionibus & circumſtantiis commendandum & admittendum eſſe illum variis ex cauſis non immerito iudicamus.

§. XXI.

Homo enim intra hanc aetatis periodum conſtitutus, niſi in iuuentute venaeſectionibus iam iam fuerit adſuetus, nec vlla plethorae ſigna eiusque incommoda praeſto fuerint, vtique & in virili ſeu conſiſtente aetate non ſemper praeſeruationis cauſſa opus habebit tali ſanguinis ventilatione. Si vero vitam viuat ſedentariam, otioſam, lautam, opiparam, ab omni cura & corporis labore remotam, tunc plethorae exinde oriundae anſam ita praebens, moxque anguſtiam circa praecordia ſentiens, ac de ſomno turbulento, inquieto terificisque inſomniis interrupto, aut aliis plethoram commotam denunciantibus pathematibus conquerens, ſtatim venam ſecando & ſatis largam

D ſan-

ſanguinis copiam detrahendo occurrere debet morbo grauiori indidem orturo. Caueat autem e contrario ſedulo, ne trito illi imperitorum effato confidat moremque gerat, quod tamdiu differre iubet venaeſectionem, donec grauius quoddam magisque vrgens metuendum fuerit periculum, aut morbus aliquis ſonticus imminens tale auxilii genus poſtulauerit: Raro enim tunc conueniens & opportunum ſeligi poterit tempus, rarius ſperatus ille egregius, ſub his circumſtantiis, obtinebitur effectus, quum non omnes periculoſi morbi venaeſectione praecaueri, multo minus tolli queant, ſed, ea licet adminiſtrata, in lethalem tamen exitum vergant. Vt autem de reliquo partis ſpecialioris aliquam adhuc iniiciamus mentionem, in qua nimirum durante hac aetate praecipue inſtituenda ſit venaeſectio, ſatius omnino ducimus ſi ea in pede, quam brachio ſuſcipiatur, quia, vt antea monuimus, tum temporis copioſior ſanguinis congeſtio & coaceruatio circa viſcera in abdomine ſita contingit. Si vero brachii venam, citra vrgentem qualemcunque neceſſitatem, ſecaueris & laticem inde purpureum extraxeris, maiorem facile accelerabis circa illam corporis regionem affluxum & impetuoſiorem congeſtionem, quam tamen melius citiusque impedire, praecauere aut mitigare poteris, ſi ex infima corporis regione, ſeu pedum venis, congrua quantitate, abundantem detrahes ſanguinem.

§. XXII.

Hyemem, vt cum Poetis loquamur, vitae, *ſe-*

nectu-

nectutem nempe, seu vltimam mortique proximam vitae periodum considerando, colophonem praesenti nostrae tractationi iam sumus impositvri. Quid vero longam morborum enarrare seriem iuuabit, quum senectus ipsa morbus merito dici soleat? Incipiente enim hac vitae periodo vltima, virium corporis decrementum manifesto simul incipit, corporis moles pondusque imminuitur, robur & vigor partium decrescit, continuusque ac molestus eius in locum languor & lassitudo succedit, cumque hac ratione actiones, antea cum oblectamento ac facilitate peractae, nunc impediantur, eo ipso morbosus status simul inducitur. Ipsa porro vasa, naturali sua elastica virtute destituta, debiliorem in liquida contenta & per illa progredientia reactionem exercent, vnde tardius haec ipsa promouentur, facilius subsistunt, omnis generis se- & excretiones impediuntur ac remorantur, tandemque sic apoplexiae, paralyses, catarrhi suffocatiui, asthmata, atrophiae, marasmus, vnacum vltima illa finali clausula, morte ipsa, accelerantur.

§. XXIII.

Quod autem nunc venaesectionis administrationem, in hac aetatis periodo vel suadendam, vel dissuadendam, attinet, variam omnino eius intuitu variis insitam esse opinionem nulli ignoramus. Qui plane omnem in hac aetate venaesectionem abhorrent & indiscretim hinc senibus singulis prohibent, argumentis Helmontianis nimium quantum confidere videntur, & sanguinem ceu verum vitae thesaurum

 nun-

nunquam plane, & tanto minus in hac aetate, detrahendum, ſed optime potius conſeruandum eſſe, firmiter ſibi, contra omnem tamen rationem, perſuadent. Aſt, ſicuti non in quolibet in tali vitae periodo conſtituto ſubiecto indiſcretim concedere, nedum imperare poſſumus venaeſectionem: ita nec abſolute etiam prohibere eandem licebit, cum ſatis praegnantes omnino rationes eius adminiſtrationem in compluribus ſenibus ſimpliciter poſtulent & vrgeant.

§. XXIV.

Senectutem quinquageſimo, aut, vt alii rectius malunt, ſexageſimo demum incipere anno, hic non repetituri, illud tantum monebimus, quod ineunte hac periodo corpus nullum vlterius nanciſcatur augmentum. Inde equidem forſitan concludi poſſet, ſanguinem tunc tanto certius & larga etiam in quantitate detrahi poſſe, quia corporis augmento non amplius inſeruiret. Hoc vero ex ea ratione, quoniam ceſſante vlteriori corporis augmento plethora tanto facilius tunc emergit, absque vlla difficultate concedi poteſt, certo tamen reſpectu omnino etiam contrarium obtinet. Semper enim ad alias inſimul circumſtantias, vt temperamentum, diaetam & reliquum viuendi genus, reſpiciendum eſt, ita quidem, vt, ſi ad ſummum iam iam progreſſa fuerit ſenectus, ipſe vero ſenex vitam degat adhuc quadantenus laborioſam aut mobilem, cum parciori minusue lauto victu ac potu iunctam, nec vllum ſentiat incommodum, plethorae forſitan imputandum, tunc minime utili-

vtilitatem quandam, sed noxam potius ex venaesectione expectare liceat. Quodsi vero haec contrario sese habeant modo, temperamentum adsit sanguineo-cholericum, vitae genus magis otiosum & sedentarium, diaeta lauta, aromatisata, vinosa, imo & spirituosa, adpetitus vegetus cum virium notabili adhuc vigore, tunc venaesectio nequaquam omittenda, sed conuenienter continuanda est, etiamsi vltra sexagesimum aetatis annum iam progressi fuerint tales senes, cum & hac ratione non raro, fauente diuina gratia, vlterius prorogari queat vltimus vitae terminus, prout Illustr. b. m. HOFFMANNVS in Dissertatione, *de venaesectione, magno ad vitam longam remedio*, egregie iam olim docuit ac monstrauit.

TANTVM.

S. D. G.



LET-

LETTRE DE FELICITATION
à MONSIEUR
le CANDIDAT VMBSCHEIDEN.

MONSIEUR,

Pour juger ſainement de la capacité & de la ſcience d'un Candidat, qui ayant fini ſes études, quitte l'univerſité, on ne doit pas ſeulement faire attention au nombre des années qu'il y a employées, mais ſurtout à ſes beaux talents, qu'il a perfectionnés par la diligence neceſſaire & le bon ordre qu'il a obſervé par rapport à ſes Colleges. Ce que j'avance ici eſt ſi certain que je n'ai aucunement beſoin d'en chercher les preuves: C'eſt en partie par le bon ſens, en partie par l'experience que nous en ſommes convaincus. Mais vôtre exemple Monſieur, juſtifie tout ce qu'on pourroit dire là-deſſus. Permettez-moi de vous remettre devant les yeux le temps que nous quittames ces agréables & charmants lieux où nous ſommes nés & où nous avons été elevés. Nous en partimes enſemble pour nous rendre dans cette fameuſe Athenes ſur les bords de la Sale. Nous avions une envie extrême d'y pouvoir entrer dans le beau & illuſtre Temple de la Sageſſe, où les ſciences fleuriſſent avec tant d'éclat. Si l'on conſidere la capacité que vous y avez ac-quiſe en ſi peu de temps, & l'honneur avec le quel Minerve vous couronne par la main d'Hippocrate, aprés que vous avez donné tant demarques de vôtre habilité & des progrès, que vous avez faits, on voit facilement que je n'ai rien avancé que vôtre exemple ne prouve evidemment, & que les excellents dons naturels

dont

dont vous êtes doué, joints à la diligence assidue que vous avez appliquée aux sciences, vous ont rendu capable de prendre le bonnet de Docteur.

Vôtre intention est donc, Monsieur, de vous faire connoitre dans le monde & parmi les Sçavants, afin de retirer les fruits des soins assidus que vous-avez employés aux études. Je vous en felicite, Monsieur, de tout mon coeur, & vous souhaite mille prosperités. J'en felicite aussi vôtre chere Famille, qui voit à present que la belle esperance qu'elle a conceue de Vous, n'a point été trompée. J'en felicite en particulier ma Patrie, & surtout notre cher Meissenheim, qui admirera en vous un Sectateur & un successeur de l'illustre Hippocrate, un homme qui est en étât de s'opposer long temps a la puissance de la mort, & par consequent capable de faire monter au plus haut degré l'âge de mes chers Compatriotes. Enfin je me felicite moi-même d'avoir eu le plaisir d'acquerir l'amitié & la familiarité d'un cher Compagnon, qui a montré aussibien que plusieurs autres que dans l'Université de JENE, où nous avons eu pendant quelques années l'avantage & le contentement de profiterdes instructions des Sçavants & de les admirer, l'on y peut jetter les fondements des perfections aux-quelles on aspire. Mais ce qui me flatte le plus, c'est l'assurance que vôtre amitié pour moi sera toûjours constante & sincere. Je Vous prie, Monsieur, de me la conserver, & de croire que le temps ne donnera jamais d'atteinte a la resolution que j'ai prise de demeurer très inviolablement.

MONSIEUR,

à Göttingue le 10me de Septembre 1749.

Vôtre très humble Serviteur.

JEAN CHARLES MIESER,

Etudiant ès Droits.

ELEGANTER DOCTO
NOBILISSIMOQVE
LVDOVICO HENRICO
VMBSCHEIDEN
SALVBERRIMAE DOCTRINAE
CANDIDATO DIGNISSIMO
DECRETOS SIBI SVMMOS
IN ARTE MEDICA HONORES
GRATVLATVS
FAVSTA FELICIAVE QVAEVIS
EX ANIMO PRECATVS
FORTVNATOS PORRO OMNIVM
RERVM SVCCESSVS OPTO
MICH. GOTTL. AGNETHLER
SAXO TRANSILV. OPPON.

